Foret ut provincia nulla
Placidis animalibus orba,
Coeli aſtra tenent regionem
Superum formæq; Deorum:
Ceſſerunt aſt fugitivis
Habitandæ piſcibus undæ.
Sed Terra feras nova cepit,
Volucres agitabilis aër,
Animans aſt ſanctius hiſce
Mentisq; capacius altæ.
Nondum produxerat, & quod
Dominari in cætera poſſet.
Tunc natus homo eſt, vel eundem
Divino ſemine fecit
Opifex rerum celebrandus,
Mundi melioris origo:
Noviter vel Terra recisa,
Seductaq; nuper ab altâ
Æthrâ, retinebat Olympi
Cognati ſemina ſervata:
Quam Iapetionides ipſe
Miſtam fluvialibus undis
Sacram effigiem fabricavit
Moderantum cuncta DEORUM.
Imam cum pronaq; ſpectent
Animalia cætera Terram,
Sublime homini os dedit omni
Coelumq; videre præaltum,
Necnon ad ſidera juſſit
Erectos tollere vultus.
Sic quæ fuerat rudis ante
Necnon ſine imagine tellus,
Ignotas induit illa
Hominum converſa figuras.

Scrib.
Christianus Behrnauerus
Gorl. Luſ.